

1527 ea Antonio Leva cum quatuor Germanorum, totidemque Hispanorum cohortibus in Insulibris relicto. Motis itaque castris Borbonius Bononiam pervenit, inde in Flaminiam, ut plerique arbitrabantur, transiturus. Nam itinera complanari, ac dirigi ad transeundum exercitum, quæ ad Centum oppidum perducunt, Dux Ferrariensis jusserat; qui cum ad Cæsareanas partes, odio in Pontificem ductus, accessisset, cum Borbonio ad Finale oppidum secreta colloquia habuerat; illum nonnullis tormentis bellicis, & pecunia juverat, in spem erectus, in hac Pontificis rerum omnium perturbatione, Mutinæ, & Regii potiundi. Agrum Bononiensem Borboniani milites ferro, atque igne vastaverant, ut hoc exemplo Florentinos perterrefactos ad aliquam argenti vim exercitui solvendam cogerent, ut agros nobilissimarum domorum frequentia insignes ab hostium injuriis vindicarent.

*Borbonii,
& Ferrariensis ad
Finale colloquium.*

Clemens itaque cum totam belli molem, impetumque se sustinere non posse animadverteret, nobilissimasque urbes prædæ, ac libidini militum cessuras prospiceret, satius ducebat, vel iniquis conditionibus cum Cæsareanis pacisci, quam Pontificium imperium ingruentibus undique maximis periculis obiectare. Quapropter neque Reipublicæ consilia, neque Langei a Rege missi adhortationes, ac pecunia, quam ex Gallia attulerat, a concepta sententia avertere potuerunt, quin cum Prorege octo mensium inducias pacisceretur, qui ob eam causam Cæsarem Ferramoscam Romam miserat, atque se intra paucos dies ad urbem venturum Pontifici pollicitus fuerat, ut majori auctoritate pacta sancirentur, & perficerentur: cum interea Cardinalis Triultius Legati Pontificii munere fungens Neapolim profecturus esset. Ferramosca post sex dies Romam cum venisset, inducias confirmavit, sponsione adjecta, Borbonium suis copiis nec ditionibus Ecclesiæ, nec Florentinæ Reipublicæ damna ulla, aut incommoda illaturum: id si renuisset, Hispanos milites, qui in sua auctoritate erant, evocaturum. Pontifex vero exercitui sexaginta aureorum millia persolaturum, Columnensibus parciturum, Pompejum Columnam in pristinam cardinalitii ordinis dignitatem, qua illum exuerat, restitutum, promisit. De illorum oppidis nil statuendum esse; sed ab utraque parte retinenda decretum est.

*Induciae
octo mensium
inter Pontificem ac
Cæsarem.*

His